



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

IX. De Missa solemni, coram Cardinale, Legato sedis Apostolicae, aut Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo, in eorum residentijs, vel loco suae iurisdictionis celebranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

TITVLVS IX.

De Missa solemn. coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo, in eorum residentijs, vel loco suæ iurisdictionis celebranda.

Sacerdos solemniter Celebraturus, corum Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ intra fines suæ Legationis, Patriarcha in locis suæ iurisdictionis, Archiepiscopo in tota eiusdem Prouincia, & Episcopo in sua Diocesi etiam in Ecclesijs Regularium, & exemptis; Sequentia accuratissimè obseruabit.

Gauantus
comment. in
Rubr. Missæ
part. 2. tit. 3.
num. 2.

1. In Prælati nominatis vt sequentia ipsius deferantur, requiritur imprimis Ordo Episcopalis vel dignitas Cardinalitia. Deinde quod sit in loco suæ iurisdictionis, neque præsens sit suus Metropolitanus, vel Patriarcha, vel Cardinalis, vel Legatus Sedis Apostolicæ. Tertio requiritur habitus certus, puta vel Pluuiiale & Mitra in solemnioribus festis, vel saltem Cappa Pontificalis in festis minus solemnibus.

Caremo Episc.
lib. 2. cap. 9.

2. His obseruatis, Celebrans veniens ex Sacraria pro Missa solemn. celebranda, ad Altare in quo sacrificaturus, facta eidem debita reuerentiâ profundè Episcopo seu alij ex Prælati prædictis inclinabit: quod & ipsi Ministri obseruabunt qui transcundo Episcopum semper genuflectere debent.

Compend.
Car. 1. c. 16.
num. 2.

3. Si ante Missam facienda sit aspersio aquæ benedictæ, statim vt Celebrans Altare aspergit, committatur à Cæremoniario & Acolytha portante vas aquæ benedictæ, accedit ad Episcopum eique aspersorium osculatum cum debita reuerentiâ.

Car. Episc.
lib. 1. c. 18.

Car. Episc.
lib. 2. cap. 31.

i. VII.
n de exequi
d caput Lecti
brans, sed ad
ere, præsent
diaconi.
Sacramentum
e Ministri ge
& rectius he
la omittat.
utione, ne di
fedeat à me
absolutione
per omnes o
ille ritus ex
ro riu.
rnu Epistolæ
rij in plano,
ub diaconum
erentia, præ
stat ad pedes
Subdiaconus
in fine Missæ
quatuor mi
m candelab
bulo, & na
M. ssam, vas
ministrare
vices Dia
istri, omitt
quæ bene
mulum, &
Ille ve
m
ITVLVS



tia & osculo manus porrigit, & ab eodem, postquam ipse se asperferit, asperionem reuerenter excipit, mox recepta Aspersorio cum osculo manus & aspersorij redit ad Altare, & aspergit Diaconum & Subdiaconum deinde alios.

Rubr. gener. 4. Cum Celebrans facturus est Confessionem, *Miss. tit. 3. num. 3.* stat ante infimum gradum Altaris à sinistris Prælati, facit cum eo confessionem, respondens illi simul cum Diacono & Subdiacono.

Rubr. gener. 5. In Confessione Celebrans ubi dicendum *tit. 3. n. 8.* vobis fratres dicet tibi pater similiter in fine, ubi dicendum vos fratres, dicet, te Pater, quod dicent Prælati profundè inclinatur.

Rubr. gener. 6. Factâ Confessione facit Prælato profundam *Miss. tit. 3. n. 11* reuerentiam, & accedens ad medium Altaris ante infimum gradum, ibi incipit Secretò *Aufer à nobis*; vt in ordine Missæ.

Cerem. Epif. 7. Finitis duabus orationibus *Aufer à nobis*, *ib. 3. cap. 23.* &c. & *Oremus te Domine*, &c. Celebrans in medio Altaris expectat: donec per Episcopum impositum & benedictum in sede sua fuerit incensum in thuribulum.

8. Quo factò, & ad Celebrantem per Diaconum delato thuribulo cum imposito, & ab Episcopo benedicto incenso, Celebrans de more thurificat Altare, in cuius fine Celebrans vt in alijs solemnibus Missis, duplici, & postea Episcopus triplici thurificatur ductu.

9. Subdiaconus cantata Epistola non ad Celebrantem, sed ad Episcopum cum debitis reuerentijs deferens librum clausum accedit, quem genuflexus, vel si sit canonicus, profundè inclinat, & manus porrigit illi super eius genibus, & manum eiusdem superpositam osculatur, acceptaque benedictione ab eo; vadit ad cornu Epistolæ & transfert librum Celebrantis.

10. Dum tempus est ante Euangelium imponendi

nendi thus in thuribulum, & Diaconum bene-
dicendi, id non fit per Celebrantem, sed Episco-
pus in sua sede ministrante Presbytero assistente
nauculam, imponit & benedicit thus. Diaconus
autem collocato libro in Altari, ducente Cære-
moniaro accedit cum debitis reuerentijs Epif-
copum & osculatur eius manum profundè incli-
natus, vel si non sit Canonicus, genuflexus: tum
reuertitur ad Altare, & dicto *Munda cor meum*, *Carem. Epif.*
lib. 1. cap. 22.
Ec. resumit librum de Altari, & si nondum fit
tempus eundi ad cantandum Euangelium, exspe-
ctat ante Altare in cornu Epistolæ, & cum tem-
pus est facta Altari debita reuerentia cum suis
comministris præcedentibus omnibus, redit ad
Episcopum, ante quem inclinatus vel genuflexus,
vt supra, petit benedictionem, qua habita facit
Episcopo debitam reuerentiam, & præcedenti-
bus alijs, vt prius, procedit ad cantandum Euan-
gelium, quo finito, Subdiacono præcedente cum
libro, ipse & alij cum debitis reuerentijs eodem
ordine reuertuntur ad Episcopum, & osculato per
eum libro Euangeliorum Presbyter assistens thu-
rificat illum. Celebrans autem non osculatur li-
brum Euangeliorum, neque etiam dicit verba
illa *Per Euangelica dicta, Ec.* thurificatur tamen
nisi Episcopus indutus sit pluuiali, tunc enim
non thurificatur Celebrans sed Episcopus tan-
tùm, & nulli alijs. *Carem. Epif.*
lib. 1. cap. 23.
Ec. lib. 2. c. 9.

11. Celebrans non benedicit aquam in Calice
miscendam, sed Subdiaconus ostendit Episcopo
ab Altari ampullam aquæ parumper versus eum
eleuans ac dicens *Benedicite Pater Reuerendissime*
& facta per eum signo crucis infundit paucas
guttas aquæ in Calicem & Celebrans eam offert,
vt aliàs. *Carem. Epif.*
lib. 2. cap. 9.

12. Dicto à Celebrante *Veni Sanctificator, &c.* *Carem. Epif.*
Celebrans subsistit, donec Episcopus, ministrante *lib. 2. cap. 9.*

¶ 5

Presby-

Presbytero assistente nauiculam, imposuerit & benedixerit incensam in thuribulum.

Carem. episc. lib. 1. cap. 23. 13. Quo facto Celebrans accipit de manu Diaconi thuribulum, & thurificat Altare more solito, & in fine ipse duplici, Episcopus verò triplici thurificatur ductu.

Carem. episc. lib. 1. cap. 24. 14. Si datio pacis Missæ conueniat, Celebrans osculato Altari, Presbytero assistenti Episcopi dat pacem, quam ipse defert Episcopo, qui dat illam Diaconis assistentibus, mox Presbyter assistens stans in loco suo inter canonicos illam dabit Subdiacono qui ad alios deferet, nisi adesset maior Episcopo quia tali casu semper dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo. Si uerem is qui Celebrat sit Prælati ita ut habeat Capellanum assistentem cum pluuiiali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens postquam Episcopus pacem dederit duobus Diaconis assistentibus; accedit ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo, & ab eo accipit pacem, quam ad alios in Choro deferet.

15. Dicto à Celebrante *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* Episcopus solemnem dat benedictionem, ad quam Celebrans profundè inclinat versus Episcopum, ceteri uerò genuflectunt, & statim post benedictionem Episcopi, Celebrans petita ab eo licentia capitis inclinatione, publicat Indulgentias ab eodem concessas, versus populum sub hac forma: *Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus N. Dei & Apostolica Sedis gratia, Episcopus N. dat, & concedit omnibus hic presentibus quadraginta dies de vera Indulgentia de forma Ecclesia consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi D. N. Papa N. Dominationis sua Reuerendissima & Sanctæ matris Ecclesie. Nisi subsequeretur Processio, quia tunc post illam publicaret,*

Carem. episc. lib. 2. cap. 23. & 33.

vel

vel Episcopo illam Celebrante Presbyter assis-
tens: aut si habitus esset sermo infra Missam, quia
tunc statim finita per Diaconum Confessione pu-
blicarentur per Sermocinantem ante benedictio-
nem Episcopi: & non amplius in fine Missæ.

Carem. Episc.
lib. I. cap. 25.

16. Data benedictione ab Episcopo, vel publi-
catis Indulgentijs à Celebrante: Celebrans &
Ministri accedunt cum debitis reuerentijs ad
cornu Euangelij, & ibi Celebrans de more legit
Euangelium.

17. Finito Euangelio Celebrans vertit se ad
Episcopum, ad quam se profundè inclinatur, &
omnes alij, ibique expectant quousque Episco-
pus recesserit, qui facta oratione recedet comi-
tatus à Clericis de Ecclesia. Interim Celebrans
& Ministri accedunt ad medium Altaris, descen-
dunt, & facta iterum reuerentia, sumptisque bi-
retis ad Sacristiam redibunt.

ANNOTATIONES.

§. 1. Imprimis errat Celebrans qui Prælato in loco
sua iurisdictionis non constituto, aut Pluuiiali & mi-
trâ, vel saltem cappa Pontificali non induto Missæ vel
alio officio solemnè assistenti, defert honores, reue-
rentias, & prærogatiuas suprâ enumeratas.

§. 2. Episcopus in Missa solemnè præsens in habitu
præscripto tribus vicibus thus benedicit; videlicet in
principio antequàm dicatur Introitus, & tunc thuri-
ficatur Altare, Celebrans, & Episcopus & non alij: Se-
cundò ante Euangelium, & tunc thurificatur tantum-
modò liber Euangeliorum, & Episcopus post canta-
tum Euangelium & nulli alij. Præterquam si adesset
Cardinalis legatus vel alius Cardinalis, quia tunc
post Euangelium non thurificatur Episcopus, sed Le-
gatus, vel Cardinalis. Nam Episcopus præsentè Lega-
to, vel alio Cardinali non debet assistere Missæ para-
tus cum pluuiiali & mitra. Tertiò post oblata, & thu-
rificantur oblata, Altare, Celebrans, & Episcopus,
mox dignitates, & Canonici, & alij omnes ordine vt
infra de officio Diaconi dicitur.

Carem. episc.
lib. I. cap. 3.

§. 3. Imponitur & benedicitur thus ab Episcopo su-
per cuncta

eum Pluuiali & mitra, vel saltem cum Cappa assistit Missæ, per alium inferiorem Episcopo, celebrandam semper apud sedem suam. Illud obseruandum est, Episcopus, siue Archiepiscopus, siue etiam Legatus aut alius S. R. E. Cardinalis siue paratus sacris indumentis siue non numquam sedens, sed stans thurificatur; aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto. Nam in principio Missæ Altari thurificato Episcopus, si est paratus, stans cum mitrâ thurificatur, post Euangelium verò sine mitrâ, post oblata cum mitrâ, si vero non est paratus thurificatur tantum post oblata, stans detecto capite sed versus thurificantem nullatenus caput ne modicum quidem inclinat, sed manu dextrâ super eum signum Crucis facit.

§. 4. Episcopus alijque supradicti Prælati si non Celebrant, sed Missæ per alium Celebratæ interfunt, semper à primo Presbytero assistente thurificandi sunt, Canonici verò & alij à Diacono qui Euangelium cantat.

Carem. Epif. lib. 1. c. 18. §. 5. Cùm surgit Episcopus omnes ordines tam Canonicorum & reliquorum Clericorum, quam Laicorum, & Celebrantis consurgere debent.

Carem. Epif. loco citato. §. 6. Quandocumque aliquis ministrorum accedit, redit, vel transit directè ante Episcopum reuerentiam illi exhibere debet; Canonicus quidem caput humerosque profundè inclinando: beneficiatus autem alutue de Clero semper genuflectendo.

§. 7. Cùm pluribus reuerentia exhibenda erit transeundo ab vno ad alterum, semper primò fiet ei, à quo disceditur, deinde ei ante quem transitur, vt vltimò ei ad quem acceditur, nullo habito respectu quis eorum sit maior, sed solum commoditatis gradientis.

Carem. Epif. lib. 1. c. 18. §. 8. Regula etiam est, vt si plures in eodem loco veniant Prælati; vni tantum ex ipsis, qui erit maior, & Celebranti reuerentia exhibetur.

Car. ibidem. §. 9. Quoties aliquid datur Episcopo, vel ab eo accipitur (præterquàm in Missis Defunctorum) toties illud ac manus Episcopi osculanda est; sed cùm datur primò id quod datur, deinde manus: cùm verò accipitur, primò manus, deinde id quod accipitur.

§. 10. Ad.

§. 10. Antequàm accedat Episcopus ad Ecclesiam, vt simili solemnè Missæ interfit, paretur ei ante Altare faldistorium, ad quod cum accesserit, genuflexus orat, & interim Celebrans qui eum exspectat in cornu Epistolæ, facta ei profunda reuerentiâ, descendet in planum per partem lateralem epistolæ, & cum ministris eum sequentibus accedit ad sinistrum Episcopi nudo capite, sed paulò post eum.

§. 11. Quando Episcopus accedit ad Ecclesiam, dignior istius loci ad portam Ecclesiæ; ipsi deferre debet aspersorium cum osculo manus & aspersorium.

§. 12. Si Episcopus remittat ad Celebrantem, vt deest ipse benedictionem in fine Missæ, tunc Celebrans dicto *Omnipotens Deus* ad Prælatum se conuertit & inclinat & prosequitur *Pater & Filius*, &c. benedicens tantùm astantes qui non sunt ad partem Episcopi, sed decentiùs est vt semper Episcopus benedicat.

§. 13. Si faciendâ sit Processio Episcopus procedit post omnes Clericos cum Cappa, aut si dicendâ sit Hora aliqua ante Missam, finitâ Processione, vel hora prædictâ, Episcopus accedit ad Altare vbi incipit Missam, & facit Confessionem & reliqua vt supra. Si post Missam dicendâ sit aliqua Hora non omnes Clerici comitantur Episcopum redeuntem, nam aliqui remanere debent qui cantant prædictam Horam, vel si omnes eum comitantur, omnes postea redeunt dicturi Horam debitam.

TITVLVS X.

De Missa minùs solemnè cum ministris sacris.

1. **E**st præterea alia Missa solemnè ab eis de qua egimus, quæ diebus profestis, & etiam festiuis, dicitur in quibusdam Ecclesijs collegiatis vt inter festa & profesta, vel inter solemniora, & minùs solemnè quædam appareat differentia.

a. Ali-

§ 10. Ali-